



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Septem Illvstrivm Virorum Poemata

Cesarini, Virginio

Antverpiae, 1662

Poemata Stephani Gradii ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-7990

NI.
crue

POEMATA
STEPHANI
GRADII
ABBATIS
SS. COSMÆ ET DAMIANI,
PATRICII RAGVSINI.

at.

POEMATA
STEPHANI
GRADII
ABBATIS
COSME ET DAMIANI
PATRICII RAVENNENSIS

AD NATALEM
 RONDININVM

S. D. N. ALEXANDRO VII.

Pont. Opt. Max. ab epistolis
 ad Principes.



*Nica Pieridum, Natalis, cura Dearū,
 Cui Vaticani peruia
 Interiora adyti penetralia fecit in alto
 Firmata virtus pectore,
 Cuius ALEXANDRI quoties sententia docto
 Prodiit ab ore Maximi,
 Nil est, quod Latium tumeat Cicerone, suisve
 Facunda alumnis Gracia:
 Clarus Apollineo me nunc à numine vertex
 Soractis antiqui tenet
 Urbane strepitum fugientem & iurgia turbæ,
 Iuuatq; de minantibus
 In calum scopulis illinc nemora alta, domosq;
 Ferarum opacas cernere,*

P 4

Hinc

Hinc variam cultu segetem, glebasq; Sabellis
 Exercitas ligonibus,
 Et latè in Latios animum dispergere tractus.
 Quàm leta vitis arduis
 Fusa cacuminibus virides hinc surgit in ulmos!
 Quàm flava aristis equora,
 Quàmq; ferax oleæ collis! quàm lacte capellis
 Distenta semper ubera!
 Quàm prisca mores hominum! quàm numine mulcet
 Auras benigno Iupiter!
 Sed me non facies rerum pulcerrima, nec tam
 Amica Musis otia,
 Quàm veterum capiunt quæ passim ingentia Patrum
 Visuntur hinc vestigia,
 SILVESTRI magni latebra, quibus ille potentium
 Vitavit enses impios,
 Haud passus perijisse manum, quæ cuncta priorum
 Abominanda numinum
 Vnius adpersu mendacia perdidit vnda.
 Quid urbis & thalami fugam,
 ROMANÆq; ⁱ specus memorem, contemptaq; duro
 Præ silicis atri tegmine

Sceptra

i S. Romana, Calpurnij Præfecti Urbis filia, cum nuptijs desti-
 naretur, diuino monitu ad S. Siluestrum in Soracte latentem fugit.

Sceptra² olim Ligeri latè dominata superbo.

Saluete rupes aurea,

Proxima cœlitibus sedes: saluete quietæ

Secura mentis gaudia.

Vt mihi iam Regum laqueata cubilia sordent,

Aurata sordent atria!

Nec moror extremus quidquid sub diuite fluctu

Hermusq; volvit & Tagus.

Sed me, ne vestris reliquos in cotibus annos

Nemorum colonus exigam,

Aurea desuetas redeuntia secula in vrbes,

Et cum sororibus vetant

Iustitia, & Pietas cœtus dignata frequentes

Certantium se candidos

Ad sui ALEXANDRI populorum fingere mores,

Et se probare ingentium,

In tanto faciles dederunt quæ Principe Diui,

Non immerentes munerum.

Ille sibi rigidus, sibi inexorabilis vni

Nihil remissi in arduo

Pectore, nil patitur laxi, per dura laborum,

Curasq; rerum maximus,

P. 5. Atque

² Carolomannus, Caroli Martelli filius atque heres, antequam se ad Cassini cœnobium conferret, Soractis montis secreto delectatus fuit.

Atque hominum gaudet Princeps audire Paternis,
 Nemo obsequentis acrior
 • Fortuna illecebras calcare, aut falce tremendâ
 Necessitatis ultima
 Immanes vultus animo spectare sereno,
 Orando nec presentior
 In Superum iratis extinguere fulmina dextris.
 Ahena non si vox mihi,
 Non centum ardenti resonent si gutture lingua,
 Merentis ad praeconia
 Sim satis, & laudes valeam me effundere in omnes,
 Per montium & quisquam iuga,
 Per saltus, fluuiosq;, ac denia rura vagetur,
 Virtutis ut vestigia
 Iamdudum exosa terras fugientia captet?
 Cum, quanta fulget arcibus
 Aetheris in summi, Diuumq; in honore superbit,
 Se Vaticani in aureo
 Explicuit solio, presentiaq; ora beatis
 Fruenda dat Quiritibus.
 Testis Hyperborei dominatrix Virgo profundi,
 Quae diuitem tot inclytis
 Regnorum spolijs, domitoq; Aquilone tumentem
 Contemnere ausa Regiam,

Huius

Huius ab aspectu properat splendescere lucis.
 Quas tu frementis undique
 Latitiae voces mirabere! qualia cernes
 Feruere per urbem gaudia!
 Supplice cum Latias se poplite sistet ad aras,
 Summiq; prona Antistitis
 Accidere ad sacra spectabitur oscula plantae
 Litoris Amazon Baltici,
 Cuius ab inuicta Germana per oppida Marte
 Vibrata nuper fulmina
 Arduus à tumulo stupuit septemplice Tybris,
 Nec ulla solam Palladis
 Aegida belligera plausu cum gentis, & auream
 Tractare docta cuspidem.
 Sed placidas animum Diuæ exercere per artes
 Ponentis interdum horridam
 Gorgona, perq; hilares blandum gradientis Athenas,
 Doctiq; Phæbi in puluere
 Primum Castalias inter decus ire puellas.
 Hanc tu Boote ab ultimo
 Anxia tollentem patriæ in caligine noctis
 Meliorem ad Arcton lumina,
 Imag; diuinis vstam precordia flammis,
 Aeterne vates, optimi

Inter

*Inter ALEXANDRI decora olim ingentia plectro
 Felicior concines,
 Cùm restincta breuî totum fera bella per orbem,
 Centumq̄₂ dices aenea
 Custodem pacis cohibentia robora Ianum,
 Italisq̄₂ Thracem viribus
 Infractum, & patriæ deiectum à culmine sedis
 Schytico latere in angulo.*

DE OBITU
 SIDRONII HOSSCHII
 E SOCIETATE IESV.
 AD
 FABIVM CHISIVM
 S. R. E. CARDINALEM.

*S*iqua iuuant mutos cineres, si lumine cassis
 Iucundum quicquam manibus esse potest,
 Multum habet egregij quòd gaudeat umbra SIDRONI
 Nuper cognatis reddita sideribus,
 Ad cumulum, ô Princeps, decorum laudumq̄₂ suarum,
 Quòd desiderio est nobilitata tuo.

IN

IN
PHILOMATHIS
MVSAS IUVENILES.

V Ates optime, quotq̄, literatos
 Nostra atas tulit, aut tulit virorum
 Plenior sapientium vetustas,
 Nulli consilio, nec erudite
 Largo flumine posthabende lingua;
 Te facundia, literaq̄, nostra,
 Te suum Latiae decus Camæna,
 Lumenq̄, eloquij vocant aviti.
 Tuis en studijs laboribusq̄
 Linguae gratia se leporq̄, debet;
 Debent munditia, elegantiaq̄,
 Et pura Veneres locutionis.
 Per te ab exilio, & malis tenebris
 Prisca Suada redit, proculq̄, ad imas
 Rus & barbaries faceffit umbras,
 Ipsaq̄, esse Latina Roma discit.

DIA.

DIALOGVS
LEPORIS ET MUSTELÆ.

Calumniatorum ineuitabilem esse
malignitatem.

Æ *Gypti sauo fines urgente duello
Rex omnes Ptolomeus equos, omnemq³ ele-
phantum*

*Describi numerum Pharios mandasse per agros
Dicitur, ut dociles calcaria ad aspera plantas,
Arduaq³ aptarent turrata ad prælia terga.
Sensit ubi siluâ Lepus hæc delatus ab altâ,
Memiserum, exclamat, quæ iam satis ima dehiscat
Terra mihi? quæ nox densis satis abdat in umbris,
Cruraq³ compedibus grauibusq³ imbellia telis
pectora subducatur, cui non præsens animus, nec
Bellorum stabiles ad munia dura lacerti?
Cui Mustela: Quid est, insane, quod ilia vano
Singultu quatis? haud tu digna hostilibus ausis
Materies: fletu nimis ambitionis in isto est,
Qui tibi non merite fingit discrimina sortis.
Conditione tuâ maiorem pone, miselle,
Ex animo curam: tibi non à Marte, nec armis,
Sed metus à vilis tenui sit dente molossi.*

Quid

Quid si me, contra sequitur Lepus, esse elephantem
 Fortè aliquis contendat, inertem ad feruida regis
 Imperia, & medijs cessantem in puluere belli,
 Et vocet in Scyri latitantem litore Achillem,
 Exigat & meritas ignauo à sanguine pœnas?
 Donec me leporem doceam, vireſq; pusillas
 Eſſe mihi, donec nudas ostendere eburnis
 Contingat telis, longaq; proboscide fauces,
 Et liceat me ipsum esse mihi, quam multa neceſſe eſt
 Aſpera perpetiar! quanto diſtingar ab æſtu
 Curarum, noctes ſubeundo indigna dieſq;!
 Egregiam quamuis, res dura eſt, dicere cauſam.

A D

FERDINANDVM
 FVRSTENBERGIVM,

De Muſarum diſſidio cogitantem.

Svmme Deum, ſeui domitor Pythonis, Apollo,
 Fatidica quem Delos ſuum,
 Quem Cyrrhaea vocant, Patareaq; culmina regem
 Certâ timendum cuspide;
 Quemq; nouem celebrant, Parnaſſia turba, Sorores,
 Triplex & ambit Gratia.

Ad

*Ad curas hominum precibus si flecteris ullis,
 Vatem tuorum fontium,
 Aoniæq; decus telluris, ab usque remoto
 Rheni petitem litore,
 Ut Latium, utq; ipsos linguaq; togaq; Quirites
 Docto admoneret carmine,
 Ne patiare tuis, Musarum ac dulcibus vlnis
 Diuina mitis ingeni,
 Et studiorum aliò spectanda auertere dona.
 Sit proprius in castris tuis
 Miles, seq; tuis æternùm exerceat armis,
 Omnemq; lucem nomini
 Inde suo, laudemq; petat, famamq;, decusq;,
 Quamuis auitus inclytæ
 Non alium magis ornet honos, & gloria gentis,
 Nec plura quisquam imaginum
 Lumina Saxonicos numeret decorantia fastos.
 Ne desiderare inglorium,
 Neu cessare velis iuuenem, quin diuite venâ,
 Tuo & benigno numine
 Utatur, seu facta graui regumq; ducumq;
 Narrare tendat carmine,
 Threiciaq; auidos testudine fallere morsus
 Obluionis inuide:*

*Seu leue quid gracili modulari malit auenâ,
Seu dulciore barbito*

*Iam nunc vernantis florem oblectare iuuenta,
Seu iuueniora differens.*

*Quin agè cunctanti (quod iam meditatur, & imò
Dudum volutat pectore)*

*Egregij vt laudes FABII præclaraq; facta
Ventura doceat sæcula,*

*Adde animos, sacraq; feri præcordia flammâ:
Dicat serena in arduis*

*Rebus mentis opes, curisq; ingentibus æquum
Stabilis vigorem consilij,*

*Quo Latium, quo res Itale, quo nititur orbis;
Quo gaudet INNOCENTIVS.*

*Dicat inexhaustum ingenium, moresq; benignos,
Nec purpuræ quicquam suæ*

*Debentem, & propriâ virtutem à luce coruscantem.
Dicat profana imperium*

*Pectus auaritiæ, nullisq; obnoxia corda
Cupiditatum fluctibus,*

*Atque animi intrepidas inter sublimia vires:
Nec litterarum & artium,*

*Nec culta sileat rarissima munera linguæ;
Sive expedita vinculis,*

Q

Natq;

Nataq̄ ad humanos placeat facundia cœtus;
 Seu debita Superùm auribus
 Verba Medusæ manantia fontibus undæ.

An clariorem carminum
 Vsq̄am alibi segetem possit laudumq̄ parare,
 Elatiore aut spiritu

Impulsas animare fides, famæq̄ perenni
 Servire gloriosius?

Annuæ Phæbe, sacriq̄ animis illabere vatis.

Sic semper æthera incolas,
 Sic tibi nulla genas fœdet lanugo, nec umquam
 Desit capillis laurea.

Dumq̄ canis trifido cæsos Titanas ab igne,
 Patris triumpho turgidus,

Cunq̄ta tibi Superùm plaudant conuiuia, teq̄
 Diu stupentes audiant,

Frustrâ iactatos referentem in sidera montes:
 Nec hauriant libentiùs,

Quæ sibi nectareo Phrygius rorantia succo
 Fundit minister pocula.

De

DE
INSVLÆ IVPANÆ
amœnitate.

F *Elicts hospes Insule, vides giebās
Virides, amœnas, mitibus hilares pomis,
Vbi relinquens Indiam suam Bacchus
Chiumq̄ nobilem vuidamq̄ Methynnū
Madidus iocosos feriat Octobres,
Nullaq̄ vite letius calet, nulla
His gratiora pampinis gerit ferta,
Præq̄ his adulto collibus mero vestras
Desiderare, Cœlites, negat mensas.*

I Iupana insula est oræ Illyricæ, ditionis Ragusinae, quam Tauridem appellat Hirtius de bello Alexandrino.

DE
ALEXANDRO VII.
PONT. OPT. MAX.

Ode.

Q *Vicumq̄ diri, post tot atra funera,
Abominatus Martis impotentiam,
Irata adisti precibus vniquam numina,*

22

Dia

De

Diu negata gentem ut humanam quies
 Vultu bearet reduce: quisquis inclytas
 Compede gementes Thraciâ Orientis plagas
 Reddi Latinis rursus optasti sacris:
 Quicumque honestis debitum artibus decus
 Constare, dulci literarum & otio
 Sua eruditis premia, & laboribus;
 Festisq; Musas implicatas frondibus
 Per Vaticanas ambulare porticus:
 Nunc tempus albas expedire victimas,
 Votiva tempus tura, nunc sollemnia
 Aptare sacris dona pulvinaribus.
 Dedere cuncta Calites tandem boni,
 Plaudente quod Olympo, & fremente Tartaro
 Maximus habenas rerum ALEXANDER tenet.

ALEXANDRO VII
 PONT. OPT. MAX.